Quelle: http://manuscripta.at/?ID=957
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Per idem tempus rudolfus filius cunradi nepos hugonis abbatis. de quo supra meminimus, provinciam inter iuram et alpes penninas occupat. et apud sanctum mauricium adscitis secum quibusdam primoribus. et nonnullis sacerdotibus. coronam sibi imposuit. regemque se appellari iussit. Post hec mittit legatos per universum regnum lotharii. et suasionibus pollicitationibusque episcoporum ac nobilium virorum mentes. in sui favorem demulcet. Quod cum nunciatum esset arnolfo. cum exercitu super eum irruit. Ille per artissima itinera fuga dilapsus. in tutissimis rupium locis. salutis presidium consecutus est. Omnibus itaque diebus vite sue arnolfus. et zendiboldus filius eius eundem rudolfum persecuti sunt. nec tamen ledere potuerunt. quia ut supra expressum est. loca inaccessibilia. que in multis solis hibicibus pervie sunt. insequentium consertas acies ab ingressu procul repellebat. CAP. IX.

Eodem anno nortmanni qui parisiorum urbem obsidebant. mirabilem et inauditam rem non solum nostris sed et superiore etate fecerunt. nam cum civitatem inexpugnabilem sensissent. omni virtute omnique ingenio laborare ceperunt. quatenus urbe post tergum relicta classem cum omnibus copiis per sequanam sursum possent evehere. et sic hionnam fluvium ingredientes. burgundie fines absque obstaculo penetrarent. Civibus autem omni instantia prohibentibus ascensum fluminis. naves per siccum plusquam duorum passuum milibus trahunt et taliter declinato omni periculo. iterum eas sequane fluentis inmergunt. Et post paululum sequanam relinquentes. hionnam ut disposuerant intrant. et sub omni celeritate navigantes. senonis applicuerunt. Ibique castris positis per continuos sex menses. eandem urbem obsidione claudunt. totamque pene burgundiam rapinis. cedibus ac incendiis demoliuntur. Sed civibus fortiter repugnantibus deo protegente. nequaquam eam obtinuerunt. quamquam omni laborum sudore. omniumque artium et machinamentorum ingenio id multipli-